



No 4128 *

UNIV. U. LANDESBIBLIOTHEK
HALLE
ISAALEI

AB . 166078



DE PROVIDENTIA DIVINA

Disputatio Theologica,
*Ad cuius positiones auspice, gubernatoreq; DEO
ipso providentissimo, & hoc nomine in ses-
cula benedicto*

SUB PRAESIDIO

Georgij Mylij Doctoris, &
Professoris Theologi in Academia
Ienensi Primarij,

Respondere pro virili conabitur

M. Immanuel Hale Aumensis, V.

Die 23. Febr. loco & tempore consuetis.



IENAE

Ex Typographéo TOBIAE STEINMANNI,
CIC. IC. C.



Magnifica auctoritate, sapientia inigni; excellenti Doctrina; longoque rerum usu eminentissimo viro, Dn. IOHANNI STROMERO Seniori, Iurisconsulto præstantissimo, Illustrissimorum DD. Saxoniae &c Consiliario fidelissimo, & in Academia Ienensi Canonum Professori celeberrimo, Facultatis Iuridicae Ordinario dignissimo, ac pro tempore RECTORI iterum designato, propediemque publicè renunciando;

NEC NON

Reverenda pietate; piaque eruditione, itemque meritis in Filij Dei Ecclesiam Clarissimo viro, Dn. MELCHIORI EPISCOPO Ecclesiae Coburgensis Pastori, & reliquarum in eodem Ducatu omnium Superintendenti Provinciali;

Magistratui, Patronis, atque adfines pro debita subiectione & observantia plurimum colendis

Hæc de Providentia divina θεολογήματα
gratitudinis ergò

Dicat offertque

M. IMMANVEL HASE
Aumenfis Variscus,



239



E providentia divina disputatur, turissima illa agendi ratio esse videtur, si ad præcipitia errorum, in hac materia utrinque posita, ceu ad statuas quasdam Herculeas, inter quas enavigandum sit, accuratè respiciatur.

2. Nam quemadmodum vulgò dicitur, quod virtus sit medium vitiorum utrinque reductum: Ita veritas inter extrema errorum, medium plerunque locum occupat.

3. Præcipitij locum ex parte una obtinet sententia eorum, qui dogmati huic iniquiores, negationem eidem opponunt.

4. Quæ tamen sententia non una est, atq; eadem undique: sed in diversa opinionum divortia distracta.

5. Quibusdam nullus planè providentiæ clavus esse videtur, qui sursum deorsum volvi revolvique omnia cæco imperu, atomorum instar, autumant.

6. Huius flagitiosæ opinionis, extra Epicuri Scholam, locius nemo fuerit: In qua tamen ipsa quoque, dogma illud, magis ad voluntatum desideria, vanamque oris iactantiam & professionem: quàm ad ipsum pectorum sensum, ac iudicium mentis, referendum esse existimamus.

7. Ab hac opinione dubitari queat, an latum unguem absit eorum opinio, qui Deo ad curam rerum superarum ac coelestium duntaxat ablegato, in

gubernatione mundi inferioris loci nihil relinquunt. In qua tamen sententia, præcipua illa gentilium Philosophorum lumina; Platonem & Aristotelem fuisse, dubium est, an negari à quoquam possit.

8. Iterum ab hac opinione fortasse palmo uno abest eorum doctrina, qui rebus creatis, & secundis causis, quas vocamus, ideo suas à Deo vires esse inditas autumant, ut ipse deinceps à speciali, & immediata rerum moderatione seclusus, & in otiosa quasi specula gubernationis mundanæ constitutus, ferri omnia solo secundarum causarum nutupatiatur.

9. Sunt, qui providentiæ divinæ curam ad pios tantum, & actiones eorundem non nisi bonas referunt: cum malarum autem moderatione nihil negotij esse divinæ providentiæ arbitrantur.

10. Ex adverso alterum illud est præcipitium quod Stoici fati necessitate introducitur, dum sic **DEVS** rerum creatarum moderator constituitur, ut mente eius, rationeque, tum mundus universus, administraretur, regaturque, tum vitæ etiam hominum consulatur provideaturque, causarum naturalium tali quodam nexu atque serie, quæ mutationem prorsus nullam admittat, & rebus omnibus, quæ fiunt, inevitabilem necessitatem afferat.

II. His utrinque constitutis duabus errorum Syrtibus, ne cum naufragæ veritatis periculo impingatur, medio tramite sic enavigandum est, ut primo indubitatè statuatur, esse **DEVM**, qui virtute conservet, providentia complectatur, numi regat atque gubernet in hoc mundo omnia. Ad quod immotum religionis Christianæ

stianæ principium qui per fidem non ascendit, huic
ne à limine quidem cognitionem Dei salutatam esse,
ingenuè asserimus.

12. Fidem assertionis scriptura facit. Sap. 6. 8.
Cura DEO æqualiter est de omnibus. Sapent. 11. 26.
Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu velles?
aut conservari, nisi à te vocatum esset?

13. Testimonia rerum requiruntur? Tot illa pro
hac ipsa causa militant, quot sunt, quæ DEVM esse in
mundo comprobant.

14. Equidem DEVM statuere, qui rerum condita-
rum cura non afficiatur: non credere, sed potius est
DEVM fingere.

15. Est autem providentia divina, talis in DEO a-
ctio, qua non tantum in conspectu habentur creata
omnia; sed & ab opifice conservantur partim, par-
tim ita gubernantur, ut nihil ipso vel non adiuvante
vel non permitte saltem, determinanteq; eveniat.

16. Terminus ipse vocabuli tametsi prophanor-
um scriptorum usu tritior olim fuit: nunc tamen fa-
miliariter satis in Ecclesia obtinuit.

17. Scripturæ, Domini, Determinationis, Actus,
17. 24. ordinationis Psal 119. 91. Gubernationis, &
Administrationis Sap. 12. 18. Sap. 14. 3. Sustentationis
Hebr. 1. 3. Coloss. 1. 17. & similes appellationes pla-
cuerunt.

18. Nonnullis insuevit, providentiam indigetare
actionem DEI generalem, quo termino à spe-
ciali DEI actione dispescitur, quæ sic appellatur,
cum DEVS, qui est agens liberrimum, & nun-
quam ad secundas causas astringitur, vel in

piorum gratiam, vel in impiorum poenam, ordine naturæ, mutato in secundis causis, præternaturalia efficit.

19. Differt providentia, tum à præscientia, quæ est in Deo: tum à prædestinatione.

20. Et cum illa quidem communem habet latitudinem. Vtraq; enim se extendit ad res tum bonas, tum malas, & homines tum bonos, tum improbos.

21. Verùm diversitas rursus est in eo, quod præscientia habitum notitiæ nudum notat: providentia præter istius implicationem, actionem etiam continet.

22. Cum prædestinatione communem quidem actionem habet: sed non itidem latitudinem.

23. Prædestinatio enim tantum ad bonos & dilectos Dei filios pertinet, ut Formula Concordiæ loquitur: Providentia ad omnes se extendit.

24. Partes operis istius divini duæ nobis à scriptura monstrantur, quarum prior conservationis propria est: Sap. I. 1. 26. Hebr. I. 3. Portans omnia verbo virtutis suæ Coloss. I. 17. Omnia in ipso constant.

25. Altera gubernationis, non otiosæ illius, quam aliqui fingunt, qua partes mundi omnes virtute divina vegetatæ, & sic suis viribus deinceps agitæ, Deo præter otiosam contemplationem nihil relinquunt.

26. Quo pacto Deus generale duntaxat, & remotum, confusi motus principium constitutus, titularem magis, quàm realem administrationis laudem obtineret; perinde atque horologopæus opificium elaboratum

boratum atque directum, suo postmodum ferri motu artificiali finit.

27. Quo pacto providentiæ opus à præscientiâ, aut nihil, aut parum etiam discrepaturum esset.

28. Sed vigilantissimæ, efficacissimæ, & in perenni actu constitutæ, qua Deus ad clavum gubernationis confidens, sic præsit rerum omnium moderationi, ut ipso vel adjuvante, vel dirigente, ac determinante, permittenteque, & sic dispensante utique, nihil fiat rerum, quæ in mundo fiunt, omnium.

29. Patere autem ita, ut dictum est, latè divinæ providentiæ ambitum, scripturarum testimonijs liquet.

30. Totus in hoc argumento est Psalmus 104. ut & Psal. 148. quibus ex hoc argumento ad societatem laudis divinæ, omnes creaturæ invitantur.

31. Consentunt Prophetæ alij. Quis est, qui dicat fieri aliquid Domino non iubente, & quod ex ore Altissimi non egrediantur mala vel bona? Thren. 3. 37. 38. An malum est in civitate, quod non fecerit Dominus? Amos, 3. 6.

32. Non abnuitt Christus ipse, Pater meus usque modo operatur, & ego operor Iohan 5. 17.

33. Si in species res sit spargenda; inductione negotium illud satis patebit.

34. De cura rerum humanarum generatim, luculenta sunt hæc testimonia, Oculi Dei super vias hominum, & omnes eorum gressus considerat. Iob. 34. 21. Scio Domine, quod non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Ierem. 10. 23. Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dispo-

disponere gressus suos. Proverb. 16. 9. In ipso vivimus,
movemur, & sumus. Act. 17. 28.

35. De cura pro Ecclesia, & fidelibus instar mul-
torum sit unicum illud Christi, Etiam pili capitis vestri
omnes numerati sunt. Matth. 10. 30.

36. De creaturis ijs, quæ sunt longè infra homi-
nem positæ, in ò quæ inter creaturas omnes apparent
vilissimæ, idem nobis scripturarum oraculis testatissi-
mum, evadit. Nonne duo passeris asse veneunt? &
unus ex illis non cadit super terram sine patre vestro
Matth. 10. 29. Aut ut alius Evangelista loquitur, Vnus
non est in oblivione coram Deo. Luc. 12. 6. Qui dat
jumentis escam & pallis corvorum invocantibus
eum Psal. 147. 9.

37. Memorabilis est hac de re Augustini in
Psalmum modo allegatum sententia; Totum Dei pro-
videntia fit in terra. Quis disposuit membra culicis,
& pulicis, ut habeant ordinem suum: habeant vitam
suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam bre-
vem, minutissimam considera, quam volueris. Quis
disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis
lauda magnum. Hoc itaque tenete fratres mei, nemo
vos de fide excutiat, & de sana doctrina. Qui fecit
in coelo Angelum, ipse fecit in terra vermiculum, & c.
T. 8. f. 1192.

38. De actionibus tam malis, quam bonis nuper
Jeremiæ & Amos dicta sunt recensita.

39. Est autem in consideratione operis huius di-
vini probè observanda forma, in qua se spectanda of-
ferunt diversissima.

Primum

40. Primum gradibus ipsis discrepat cura, qua de rerum creaturarum moderatione DEVS afficitur.

41. Equidem alienam à sese DEVS non esse patitur curam earum rerum, quæ sunt longè infra hominem positæ, quales sunt vermiculi, pulices, scarabæi, insecta alia.

42. Attamen cura potior est, qua DEVS in gubernandis hominum actionibus occupatur.

43. Peculiaris autem, & plus quàm paterna sollicitudo est, qua ille de Ecclesiæ & fidelium suorum salute & conservatione angitur.

44. Videt quidem DEVS omnes filios hominum, & intelligit omnia opera eorum Psal. 33. 14. Sed oculi Domini super timentes eum Ibid. v. 18. Et speramus in Deo vivente, qui Salvator est quidem omnium hominum, sed maximè credentium 1. Timoth. 4. 10.

45. Deinde ratione modi in his, quæ à divina gubernatione dependent, non mediocris est diversitas.

46. Nam ad alios divinæ providentiæ beneficia, ordine q. immediato descendunt; considerato respectu eo, qui ab istorum beneficiorum usurpatoribus dependet, cuius rei documentum videre est in esca, quæ pullis corvorum à DEO præbetur Psal. 147. 9. in pastu volatilium cœli, & amictu liliorum Matth. 6. 26. Quæ beneficia sanè divinitus obtingunt nullo proprii laboris interventu.

47. Secus habet consuetus ordo in victus humani procuratione, qui labore quidem manuum Psalm. 128. 2. & in sudore vultus. Genes. 3. 19. homi-

B

nibus

nibus est parandus: Interim tamen nihilominus divinae providentiae manu & largitione obtingit. Ose. 2. 8. Ego sum, qui dedi frumentum, & oleum, & vinum, & argentum multiplicavi, cuius rei oblivio Israelitis ibidem vitio maxime operè & ingratitude vertitur.

48. Insuper liberrimè in providentiae suae cura expedienda Deus agit, quippe, qui & citra & praeter media omnia naturalia, quovescunq; & ubicunque vult, Providentiae suae opera expedit.

49. Id quod praeter infinita alia tum veteris, tum novi testamenti miracula, historia conservati in deserto per continuos 40. annos, populi Israelitici, luculenter ostendit.

50. Adhuc in modo ipso agendi, pro discrimine actionum ipsarum humanarum, providentiae uni atque eidem operi magna etiam diversitas obtingit.

51. Nam licet clavo gubernationis divinae subjaciant actiones hominum non bonae tantum, sed & malae; imo Diabolorum etiam pessimae: Diversissimus tamen actus est gubernationis, quo bona hominum opera reguntur, ab eo, qui sceleratas impiorum actiones moderatur.

52. In pie & laudabiliter factis, Propheticum illud valet. Omnia opera nostra tu in nobis operatus es Domine. Esa. 26. 12.

53. Opera enim nostra bona, Dei sunt opera, ut loquitur Augustinus de Sp. & Anima. Et multa quidem bona opera facit in nobis Deus, quae non facit homo. Nulla autem facit homo, quae non faciat Deus, ut ab eodem alibi scriptum habetur lib. 2. cont. epist. Pelagij.

In

54. In sceleratè factis autem præter generalem illam Dei actionem, pars est nulla *ἐνεργείας*, cum qua commune quicquam Deus habeat.

55. Accedit quidem istis divina permissio; quin & directio ac determinatio supervenit, qua vel modus actionibus istis statuitur à Deo: & finis præfigitur, atque exitus, ab intentione autorum suorum diversissimus.

56. At scelerum ipsorum nefaria operatione atq; *ἐνεργεία* adeò nulla ex parte Deus participat: ut neque prohibere ista, atque improbare: neq; impedire aut punire iure sit dicendus, si in sortem communis operationis quamcunque venire iudicandus sit.

57. Quod ipsum tam evidens & immortum est religionis principium, ut huius notitiam natura ipsa sanioribus etiam gentiliū Philosophis ingenerarit, quorum celebris illa fuit sententia

θεοί, ἀλλ' ἡ κακῶς δεῶσιν, ἔκ' εἰσι θεοί

58. Detestanda igitur est illa Sacramentariæ linguæ blasphemia, qua dictum fuit, Malas malorum voluntates non tantum frenari, & regi: sed etiam moveri, & ad id, quod ipsi libuit conandum, vel etiam perficiendum à Deo inclinari Beza p. 2. resp. ad Coll. Montb. f. 175. Item Adamum non modò præsciente: sed etiam sic ordinante Deo fuisse lapsum. Ibi- dem f. 154.

59. Denique illud memoria est tenendum: In providentiæ divinæ negotio circa, mundi huius gubernationem, multa esse, quæ eveniunt, rationi & iudicio humano prorsus inscrutabilia.

60. Quorum causæ quamvis occultæ sint, iniustæ tamen esse ne utiquam possunt.

61. In horum ergo consideratione si non inveniat maximè mens nostra utilitatis, bonitatis, aut iusticiæ evidentes rationes: non statim tamen cogitatio nobis de cæco fortunæ impetu obrepet: aut os nostrum latratu impio providentiam DEI impetet.

62. Sed digito labellis imposito, ad quietem partim mens nostra se componet, & tempori ipsi ac magisterio experientiæ fidelis erudiendam se permittet.

63. Partim in Apostolicam exclamationem resoluta, sibi inculcabit. O Altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius Rom. II. 33.

64. Equidem multa sunt, quæ ab humana ingeniositate excogitantur, quæ speciose interdum sanitati, & puritati huius doctrinæ obstrepunt: Verùm, quæ ab animo recte instituto solvi, & ceu funiculi ex arena contorti, in nihilum redigi haud difficulter possunt.

65. Quod si obiecta & quæ sita quævis, disputandi facultate, refutari maximè in hoc mysterio nequeant: multum tamen adiuvat cor fidele, nosse, quid credendum non sit, ut est alicubi locutus Augustinus.

66. Et ut Fulgentij verba ad Donatum habent, Etiam illa pars est victoriæ, ut quando quis sermone non potest defendere veritatem: fideli tamen corde devitet errorem.

Valet

67. Valet etiam interdum Iustini illud in expo-
sit: fidei τὰς ἀπορίας πίσις Ἰηλυέτω μόνη.

68. Absurdus, & ἀσύστατος aliquibus videtur ipse
providentię terminus, quę Deo tribui nulla possit,
quia vel Deus in ordinem creaturarum redigatur,
quibus ratione temporis aliquid præteritum est, vel
futurum: vel res creatę ab æterno prævisę, æternitatis
natura etiam participant.

69. At enim non ex re magis ipsa, quàm analogia
rei terminus iste depromptus est.

70. Deo enim, cui futurum, aut præteritum est
nihil: sed omnia sunt præsentissima, si actum divini-
tatis spectes: impropriè providentię vox tribuitur.

71. Quia verò res, in tempore conditę, ita sunt
cognitę, curatę & ordinatę ab æterno, quasi præsen-
tissimę, licet ὑπαρξίν suam in tempore demum sortitu-
rę; à rerum ipsarum natura magis, quàm actus divini
condicione, aut, quod probabilius est, ab humanę
potius curę analogia, providentia Dei appellata
fuit.

72. Iam cum ad providentiam duo pertineant,
ipse nimirum ordo, & dispositio rerum, quę ab æter-
no facta est, & ordinis istius executio, quę in tempo-
re fit: ratione illius, providentia dici æterna: ratione
huius, res in tempore esse, ac fieri, commodissimè
possunt.

73. Oggannitur, casum tolli, & contingentiam,
quorum tamen utriquetum scriptura (Eccles. 9. 11.
Tempus & casus valent in omnibus), tum experientia
ipsa, optima veritatis magistra, patrocinetur.

74. Hęc verò est elenchi παρά τὸ πῆ καὶ ἀπλῶς
B 3 Sophi-

Sophistica Casum enim & fortunam non ab omni
causæ ordine excludit providentia; sed duntaxat ab
uno, causæ nempe universalis, ordine.

75. Potest ergo ex particulari causa casuale esse,
& fortuitum, quod universalis causæ ordinem nullo
modo defugit.

76. Exemplum rei illustre tali casu in sacris pro-
ponitur. Exeunt duo in sylvam, ligna casum.

77. Fit autem, ut alterius ferrum securis, manu-
brio dilapsum, & capiti alterius impactum, præsentia-
neam illi mortem afferat. Deut. 19. 5. Cædes hæc
fortuita esse, ipsa lege Domini asseritur Num. 35. 23.
si spectetur causa particularis. Ratione providen-
tiæ divinæ, casus etiam in manus occisoris traditus
esse à Deo perhibetur Exod. 21. 13.

78. In loco Solomonico, versionis vitio, error
est commissus, Nam non de tempore & casu (sed de
occasione & eventu sermo est. Quorum neutrum
cum sit in potestate hominis positum, à divinæ pro-
videntiæ moderatione utrumque expectandum esse,
pulcherrimè innuitur.

79. Quiritantur aliqui de extrema rerum omni-
um mundanarum confusione, & ἀταξία planè tu-
multuaria, cum qua stare providentia nullo modo
possit.

80. Hæc verò planè mentis humanæ crassa est
illa cæcitas, qua confusaneo motu ferri, nobis viden-
tur ea, quæ divinæ providentiæ libramine sunt defi-
nitissima.

81. Exemplo nobis potest esse unica Servatoris no-
stri passio, in qua obtinere videtur mera omnis ἀταξίας
σύρραξις. At in ista factum esse scribitur, quod summo
divinæ

divinæ providentiæ consilio præfinitum fuerit. Act. 2.
23. Act. 4.28.

82. Iam illud cogitandum est, sicut in Deo multa sunt, à quibus mundi gubernatio dependet, qualia sunt iusticia, sapientia, bonitas, potentia; ita ordinis etiam rationem apud Deum diversimodè se habere. Nam cum iustus sit, quædam iustè disponit Sap. 12. 15. Nonnulla ordinat in misericordia Sap. 15. 1. plurima disponit in potentia, Sap. 8. 1.

83. Quod si ergo quid confusè, & inordinatè, hoc est, cum ratione ordinis, una pugnans fieri videbitur: id nō statim cum omni ordinis ratione pugnare cogitabimus: sed quod uni non quadrat, id cum alijs rectissimè congruere statuemus.

84. At iustis non constare, sua præmia: neque improbis supplicia obijcitur.

85. Fatigavit hæc obiectio non Philosophorum tantum *Φρονήσια*, uti videre est apud Plutarchum de Plac. Phil. l. 1. c. 7. sed sanctorum etiam ipsorum pectora Psal. 37. Psal. 73. Jerem. 12. Job. 21. Hab. 1.

86. Sed enim, utique fructus est iusto: utique est Deus iudicans terram Psal. 58. 12.

87. Quod si hoc non fit semper in hoc mundo: tempus illud superest, quo iudicaturus est Deus orbem in æquitate. Acto. 17. 31. quò que futura est dies restitutionis omnium. Acto. 3. 21.

88. At indigna Deo esse garritur, & à Maiestate eius aliena, rerum universalium, etiam minutissimarum cura. Et fatuam hanc esse adulationem scripsit Hieronymus in Haba. 1. qua DEI potentia ad ima etiam detrahatur, ut curet, quomodo nascatur

nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis, quoc
nascantur culices.

89. Melior est Augustini, quàm supra allegavi-
mus, sententia.

90. Et fallit obiecta ratio, solo humani sensus
glaucomate errorem inducens, quo minor putatur
esse, qui viliora curat.

91. In DEO autem bonitatis hoc immensæ est,
æqualiter curam omnium gerere, & horum, quæ cre-
avit, indignum providentia sua nihil iudicare Sap. 6.
8. Pusillum & magnum DEVS fecit & æqualiter est illi
cura de omnibus. Sapien. 12. 13. Non est DEVS alius,
quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoni-
am non iniuste iudicas iudicium.

92. Producentur in contrarium monstra etiam,
abortus, prodigia, defectus, quæ naturæ quædam quasi
errata esse iudicantur, in quibus nihil minus, quàm
providentia obtinere existimatur.

93. Cæci iterum hoc est de colore iudicium. Esto
enim non statim nos assequi possimus, quo ordine,
quibus causis singula procedant, ut sunt sanè multa-
rum rerum occultæ causæ; num his ignoratis, statim
clausus esse divinæ providentiæ oculus putabitur?

94. Et in rerum singularium cursu nonnulla in-
terdum vitiosa esse videntur: quæ ratione totius uni-
versi certissimam boni rationem habere tandem in-
telliguntur.

95. Obstrepit hîc etiam ex sensu aliquorum ipse
naturæ cursus. In quo cum rebus naturalibus suæ sint
à DEO proprietates inditæ, quarum ductu, quod
agunt,

agunt, necessario agant: ita fieri, ut providentię divi-
næ locus non sit reliquus.

96. Ethnicam hic sentus impietatem sapit, quã religio
Christiana ita corrigit, ut nihil rerum omnium condi-
tarum esse doceat, quod vim quamcunque exercere
possit, nisi Deo arcana sua virtute, mundi partes om-
nes efficacissimè vegetante.

97. Quid magis homini naturale est, quàm mo-
veri? At in Deo & virtute Dei nos moveri interim,
testis gravissimus est Apostolus. Act. 17. 28.

98. Quid soli magis naturale est, quàm ut per-
curso mundi ambitu, cum ad horizontem nostrum
appropinquat, ortu suo diem efficiat? Huius tamen
operis autor Deus esse, à Christo ipso perhibetur,
Matth. 5. 45. Quod ipsum de pluvia, die, nocte, æsta-
te, vere, & similibus rebus naturalibus, scriptura alibi
pronuntiat. Psalm. 74. 17.

99. At scripturis etiam in aciem productis, do-
ctrina providentię ab aliquibus impetitur. Nam
Deus hominem conditum, in manu sui consilij reli-
quisse legitur. Eccl. 15. 14. cui conditioni, cum provi-
dentia esse locus posse vix videretur.

100. Imò vix uspiam magis, quàm ex illa ipsa
conditione hominis protoplasti, sollicita Dei provi-
dentia apparuit.

101. Nam liberrima agendi facultate homo in-
structus fuit: ad perseverantię bonum, dono necessa-
rio nullo caruit: Insuper de periculo imminente dili-
genter admonitus fuit. Imò cum prævisus à Deo
fuisset lapsus ante iacta fundamenta seculi, iam Deo
constitutum fuit, quo remedio lapsus restaurandus
esset.

C

At

102. At illud rursus mouetur, esse homines, quos
DEVS secundum desideria ipsorum dimittat, ut eant
in adinventionibus suis. Psal. 81. 13. Act. 14. 16.

103. Responderi illud potest, Reprobatione ho-
mines non à providentiæ divina cura eximi; sed à gra-
tia duntaxat excludi.

104. Dumq; hos ipsos non ruere semper DEVS,
quò volunt finit: sed freno in labijs coniecto, & cir-
culo in naribus posito cohercet, Esa. 37. 29. quid aliud
nisi manifesta providentiæ suæ documenta DEVS
edit?

105. Sed & illud mussitatur Apostolicum, quo
negatur DEO cura esse de bobus. I. Cor. 9. 9.

106. Si literam quis urgeat, facere hoc sine mani-
festa implicatione contradictionis, tum in scriptura
universa, tum in ipso loco Apostolico non poterit,
Nam curam esse DEO de bobus, ibidem statim ab A-
postolo sub scripturarum allegatione. Deut. 25. 4. af-
firmatur.

107. Sensem dicti, autor dicti, & proinde dicti
sui optimus interpres, versu statim sequente prodit,
cum inquit, Propter nos istud dictum scriptum que
esse. Comparatè ergo verba Apostoli sunt acci-
pienda, nempe ut non aliter cura DEO esse negetur,
nisi respectu nostri. Nam quicquid curæ bouum
tribuit DEVS, non alia causa tribuit, nisi propter
hominem: adeò ut, si cura hominis sese abdicare
DEVS velit, prius id facere non possit, quàm omnium
aliorum curam à se abiecerit.

Poterat

108. Poterat hic tandem à nobis receptui cani, verum hic demum magnarum absurditatum scrupuli nobis obijciuntur. Ac primum, stante providentia ista, tolli atque enervari secundarum causarum vis atque efficacia videretur.

109. Hoc, ni fallor, est, ex subordinatis contraria facere. Nam secundum & primum: universale, & particulare se invicem non excludunt: sed sibi subsunt potius, & unum ab altero supponitur quodammodo. Providentiæ ergo ipsius divinæ beneficio fit, ut res creatæ, & causæ secundæ, motu suo fruantur, & exercere actiones suas possint: tantum abest ut istis exitium illa ullo modo inferat.

110. Dictum est ab Augustino, De vi sic administrare omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios motus exercere sinat. De civit. Dei l. 7. c. 30. Imò ut hoc ipsum præstare illa possint, divinæ providentiæ virtute efficitur.

111. At libero hominis arbitrio nervum omnem hac doctrina incidi aliqui fabulantur.

112. Idem ad hunc scrupulum, quod ad priorem responderi potest. Nam & voluntas humana in secundarum causarum ordine reponitur.

113. Voluntati ergo humanæ, sua agendi libertas, in rebus eidem subiectis, ultrò conceditur.

114. Sed agit interim divina etiam providentia, tum generalis actionis beneficium præstando; tum consilia cordium ita dirigendo, ne aliorum, quam ad finem Deo placitum, & ordini commodum exeant.

115. At quid de causa peccati futurum tandem sit, aliqui clamitant, veriti scilicet, ne stante hac doctrina, fiat ut in DEVM illa penitus redundet.

116. Frivolus iste, & intempestivus metus est. Nam in opere providentiæ uno atque eodem, respectu diversarum actionum, diversus etiam agendi apud DEVM modus est, in partem bonam, adjuvando, impellendo, approbando: In peiorem, coercendo, dirigendo, reprimendo.

117. Si ergo peccati culpa redundare in DEVM debeat, aliter id fieri nequit, nisi positis prioris generis actibus, quibus providentiæ Dei cum flagitiosis actionibus concurrat. At contrarium prorsus doceri, planum est. Frustrà ergo culpæ divinæ hic metuitur. Qua de re in disputatione seq. pluribus agetur.

118. At nodus adhuc unus crepat, Si omnia subsunt divinæ providentiæ, aut aliter, quam provisa sunt, fieri possunt: aut non possunt. Si illud, fallitur providentiæ. Si hoc, subito omnis labascet contingentia, & mera fatorum erit necessitas. Absurdum utrumque: simile ergo tertium, ex quo utrumque sequitur.

119. Pro solutione nodi, duæ sunt notandæ distinctiones. Prior est mutabilis & immutabilis, quod bifariam sic utrumque appellatur, vel quod natura sua & per se tale est, ut aliter habere possit, vel non possit: vel quod ex accidente tale est.

120. Altera distinctio est necessitatis, quæ aut simplex est, atque absoluta, consequentis dicta: aut hypo-

hypothetica, quam consequentiæ necessitatem ap-
pellant.

121. Provisa ergo iam immutabilia esse dici
possunt: At non simpliciter, & ex proprietate na-
turæ suæ: Verùm ex accidente duntaxat prævisi-
onis.

122. Idem de necessitate responderetur. Nam
quamvis actiones hominum provisæ sunt quidem,
ratione providentiæ; necessariò: Tamen natura sua
causam habent mutabilem, voluntatem scilicet, ex
qua aliter fieri poterant. Quo casu, alia etiam earun-
dem prævisio futura fuisset.

123. Fatum certè quidem, quale finxisse perhi-
bentur Stoici, Ecclesia piorum prorsus abominatur,
eidemque cum providentia divina commune nihil
esse patitur.

124. Nam & Deo libertas agendi dogmate isto
sic adimitur & voluntati humanæ sua facultas nati-
va ita intervertitur: & causis secundis, earumque
nexui invariabili vis tam adamantina tribuitur, ut nec
divina, nec humana loco suo relinquatur; sed coelum
terræ, terra cælo undique misceatur.

125. Ut scitè quondam ab Augustino responsum
fuerit, fati istius assertori cuiquam: Si cor tuum non
esset fatuum, non crederes fatum.

126. Cui fatuitati, errore propinqua: Foeditate
dissimilis, longeque atrocior est gentis Calvinianæ
blasphemia de absoluta necessitate, cui actiones hu-
manæ omnes eventaque omnia subiaceant. Calvinus
instit. l. 1. c. 16, 17.

127. Usus verò Doctrinae sanioris de providen-
tia apud pios est multiplex. Hinc enim gloria Dei su-
pra modum illustratur: hinc creationis articulo lux
magna infertur: hinc formandis judicijs hominum
de operum atque eventuum quorumvis ratione, ma-
gnum momentum affertur.

128. In didem vitæ humanæ, ad quarumvis vir-
tutum studia componendæ, adiuventum ingens
præstatur.

129. Denique in hac doctrina, consolationum
officina instructissima aperitur. Cuius lucem ne a-
pud nos vel offulcari, vel extingui Deus patiatur,
summis votorum ardoribus pij omnes compre-
cantur. Quæ rata esse velit idem, in o-
mnes seculorum aternitates
benedictus, Amen.

F I N I S,




den-
i lu-
o lux
inum
ma-
vir-
gens
num
e a-
tur,
e-
ad
bis
de
is
id
in
i



AB 166 078

(X 1999 4896)



№ 41



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



DE PROVIDENTIA DIVINA

Disputatio Theologica,
Ad cuius positiones auspice, gubernatoreq. DEO ipso providentissimo, & hoc nomine in secula benedicto

SUB PRAESIDIO
Georgij Mylii Doctoris, &
Professoris Theologi in Academia Ienensi Primarij,

Respondere pro virili conabitur

M. Immanuel Hale Aumensis, V.

Die 23. Febr. loco & tempore consuetis.



IENAE

Ex Typographéo TOBIAE STEINMANNI,
C10. 10. C.

